

BS2555
.A2
S56
1697
v.4
c.1

R. P. D. F. JOANNIS
DA

SYLVEIRA


OLYSSIP. CARMELITÆ,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,
SACRÆ THEOLOGIÆ PRIMARI
LECTORIS JUBILATI
COMMENTARIORUM

in Textum Evangelicum

TOMUS QUARTUS.

*Explicans tertium sacratissimum annum Prædicationis CHRISTI JESU,
usque ad ejus gesta in Cœnaculo exclusivè.*

EDITIO SEXTA, cæteris correctior & emendatior.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON, & JOAN. POSUEL

M. DC. XCVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

50568

FR. NONEUS VIEGAS in sacra Theologia Doctor, rerumque fidei Censor, & Qualificator
in sacro Inquisitionis Tribunali, Quartum Tomum in Evangelia sapientissimi, amantissimi-
que Magistri sui FR. JOANNIS DA SYLVEIRA approbat ex commissione Superiorum.

SACRUM Carmeli verticem coronat SYLVEIRA noster; dum in feraci Librorum
ætate mirantibus cunctis, quartò, suos spargit flores, maturòsque fructus assidua
lectione elaboratos, Literatorum gaudio, omniumque emolumento, profert. In
hoc quarto ingenii sui partu felicissimo, veluti Sol reliquis infundit lucem fecibus, sicut
ille orbibus. O quanta, o qualis generosi viri fausta proles! Ex tanto Doctore mirabilio-
cre nascitur, nihil non grande. Priores Tomi feliciores; quia priores; iste præstantior,
quia fecundior; in illo enim Auctor se relinquens, celeri vehitur trans æthera pennâ,
seque ipsum superans sublimi vertice, quò nullus ascendit, tutus quiescit.

In tali SYLVEIRA non reperiuntur spinæ, quas pes terat; sed rosæ, quas carpat manus:
SYLVEIRA noster totus roseus, floridus totus: nihil in illo mundandum inveni; totum lau-
dandum judicavi; nam materiæ præstantia, rerum copia, conceptuum ubertas, quæstionum
varietas, styli claritas, mirabilisque versionum textura, Opus maximè commendant, Auctoris-
que ingenium commendabile reddunt; nam in scribendi vena, nulla reperitur macies, imò
omnia plano, & pleno amne currunt, taliter ut qui SYLVEIRAM tenet, Bibliothecam teneat;
solus ille, totus ille thesauros nobis aperta palma dispensat; quæ in tenebris latitabant, lucis
revocat ad claritatem, quæ multis, multi obscure explicant, enodat aperte, & mira brevitate
coarctat; dicit in hoc Tomo fecundè, tanquam si nihil antea scripsisset; plura docet pau-
cis; fructu, non frondibus abundat; quot quæstiones tractat, tot fasciculos componit; quot
verba scripsit, tot flores spargit; tali SYLVEIRA Carmeli decor, iterum virefcit: antiquitati-
que montis vetustas repuerascit; felix mons, quò senior, eò fecundior; nescit fecundi-
tas sterilefcere, nequit cælum stellis, nequit nemus plantis, nequeant Carmeli plantæ flori-
bus viduari. Accedant cuncti (Liber enim cunctis est dicatus.) In illo Doctores occultiora
sacræ Scripturæ arcana mira claritate explanata reperient: in illo Verbi divini Præcones,
thesaurum, nunquam exhauriendum invenient, tyronibus multa, simplicibus mira, Literatis
rara præbet, nam meridiana graditur methodo; brevitatis cum claritate connectitur; omnes
in illo Patres loquuntur, & ore omnium ille loquitur, felici genio, ingenio mirabili, dis-
positione rara ad sui laudem omnes allicit, & attrahit, unde censeo Opus esse dignissimum,
ut typis mandetur, ad Auctoris gloriam, Carmeli decorem, omniumque gaudium, & uti-
litatem. Eboræ in Carmelitano Conventu die 8. Septembris, anno à Partu sacro 1652.

FR. NONEUS VIEGAS.

Censura Doctoris P. FR. BENEDICTI DE MAÇEDO.

QUARTUM Tomum Commentariorum in Evangelicam historiam auctore R. P.
Doctore, ac emerito Magistro meo dilectissimo FR. JOANNE DA SYLVEIRA,
ex commissione R. admodum Patris Provincialis, sæpe & accuratè legi. Sæpius,
fateor lubens, perlegam, tali namque, tamque mira ubertate ingenii gravidatur,
tantâ fecundatur doctrinâ; subtilium rerum copiâ exuberat, & conceptuum varietate
repletur, ut quamvis, continuâ exenteratione emedulletur, prorsus inexhaustibilis videatur:
imò perenni germine, ut de ramis aureis cecinit Poëta, uno avulso non deficit alter. In hoc
Opere Dominici verbi verus sensus elucet clariùs, Christi gesta irradiant micantiùs, Sancto-
rum Patrum doctrina splendet diffusius; & quidquid sacri Evangelii Christianus indagator
querere satagit, invenitur abundantius & apertius. Gaudeat sibi gratuletur Evangelicus
Concionator, tantum habere Doctorem, cujus sapientiæ, & intelligentiæ Gazis ditatur, &
in quo absque eo, quod omnia vendat, thesaurum possidet pretiosum. Ne igitur absconsus
sepulchretur, dignum censeo ut in lucem prodeat, nullum quippe alium, & fidei, & bonis mo-
ribus conformiore, nunquam reperi. Dat. in Olyssiponensi Carmelo, die 12. Septembris,
anno Domini 1652.

Doctor FR. BENEDICTUS DE MAÇEDO Jubilatus Magister.

ALACRA